

Q. N. 415, 27.

34.

X2024763

Π i
2564

I. M. S.

DE

CAMPANIS TEMPLORUM

PERMITTENTE

FACULTATE PHILOSOPHICA

SUB PRÆSIDIO

M. PAULI CHRIST. HILSCHERI

VVALDHI. MISN.

AD DIEM XXIII. NOV.

A. R. O. M. DC. XCII.

DISPUTABIT PUBLICE

AUTOR

JOH. MAURITIUS STOHRIUS

GRIMA MISN. PHILOSOPH. BACCAL.

ET AL. ELECTORAL.

LIPSIÆ,

Literis JOH. GEORG.



J. S. Cysiang

22

99

K. 415.

V I R O

Magnifico, Maxime Reverendo, Amplif-
simo atqve Excellentissimo

JOHANNI OLEARIO,
SS. Th. Doct. ejusdemq; in hac Academia
Prof. Publ. celeberrimo, Ecclesiæ Cathedralis Cizensis Ca-
nonico, Majoris Principp. Collegii Collegiato, Nationis
Saxoniae Seniori atqve Alumnorum
Electoralium Ephoro,

De singulis, quibus fungitur officiis præclarè meritò,

Nec non

V I R O

Consultissimo, Amplissimo atqve
Excellentissimo

CHRISTIANO GODOFREDO
FRANCKENSTEINIO, J. U. Doctori
celeberrimo ut & Scabinatus Lipsiens, Assessori
gravissimo,

Mœcenatibus suis atq; Patronis summo ob-
servantiæ cultu ad cineres usqve devenerandis
Primitias hæc Academicas

Ingratæ mentis pro acceptis beneficiis signum & ulterio-
rem sui commendationem pio affectu consecrat

Joh. Mauritius Stohrius, Grimensis Misn. Philosoph,
Baccal, & Alumn. Elect.





JESU coepta Meo, sint Succurren- te secunda!

CAP. I.

De instituti ratione.

§. 1.

DE campanis differere induxi animum. Placuit argumentum, non quod esset præstantissimum, aut minus vulgare; poterat enim inveniri elegantius, & jam olim occupatum est ab aliis; sed quia primum occurrit memoriæ & non visum fuit alienum a studiis meis, qui templo divinisque rebus me præparo: satis autem fore pro modulo ac pede meo existimavi, si non omnem quidem campanarum materiam exhaurirem, quod nimis prolixum esset futurum, sed præteritis rebus vulgatisissimis adducerem notabiliora. Optima enim polliceri arrogantis est animi, & in tanta ingeniorum varietate difficillimum fuerit illud invenire. In causas campanarum non inquiram sollicitè. Constitutum enim mihi est earum historiam contexere potius, quàm explicare naturam. Quod ideò monere volui, ut pernoscas L. B. ecquid spei sit reliquum tibi. Sed ecce quas hac de re narrationes collegi ex autoribus, tuo jam judicio conspectuique subjicio.

Conf. de campanis Paul. Vergerius & Hieron. Magius, qui cum notis. Franc. Svert. prodiit, Dissert. Stockfletci Reinmanni Eggeri, Georg. Chladnè Invent. Templ. & quæ ex variis autoribus collegit Mayerus in Musæo. P. 2. pag. 700.

§. 2. Ut rem teneas exactiùs, scire te velim in ipso translationis limine, campanarum nomine, de quibus agere constitui, me illud tintinnabulorum genus intelligere, quod ex altioribus templorum partibus suspensum contactu pistilli e medio ejus pendentis sonum edit, ordinatumque est præcipue ad indicandas ornandasque functiones Ecclesiasticas.

A 2

§ 3.

§. 3. A regione Campania *campanam*, ab urbe Nola *nolam* appellari, non tam quod inventæ primum ibidem fuerint, quam majori forma elaboratæ, communis est autorum sententia, sed quanquam idem sonare nolam, quod campana, vulgaris sit opinio, si rectius tamen ponimus calculum, non ita similis nolæ campana videtur, ut una alterius naturam ad amissim referat. Sive enim cum quibusdam in eo ponamus differentiam, quod tintinnabulis minoribus nola, majoribus accenseatur campana, sive cum aliis id discriminis statuamus, quod nola pistillo destituta, malleo foris admoto in sonitum irritari soleat, campana vero motu suo pistillum e medio pendens propellat in utrumque latus ad clangorem concitandum; utrobique reperitur ratio satis valida, quo minus unum pro altero, in sermone accurato usurpari debeat. Cæcilius Comicus, antiquissimus autor, jam nolæ mentionem facit apud Fabium Quintilianum, allegantem ex eo proverbium de multibibâ garrulaque anu: Quæ in triclinio choa sit & in cubiculo nola. At campanæ vocabulum ita vetustum non est, sed multa post secula demum, rei noviter excogitatæ, fuit impositum. Apud mediæ infimæque ætatis scriptores *Signorum* quoque & *Gloggarum* nomen invenitur, quorum illud à potiori campanarum officio petitum est, hoc autem è Germania in Latium accersivit melioris vocabuli ignorantia.

Walafr. Strab.
de rebus Eccl.
c. 8

Quintil. In-
stit. Orat. L. 8.
c. ult.

Carol. du Fre-
sne Gloss Lat.
sub voc.

CAP. II.

De origine campanarum & autore.

§. I.

Quantam commoditatem Christianorum cœtibus convocandis dirigendisque afferat campanarum sonitus, oratione amplissima probare facillimum fuerit; sed quo tempore potissimum quibusve autoribus usus instrumenti nobilissimi in Ecclesiam immigraverit, arduum est explicare. Affirmare tamen non dubitamus, multum præterisse temporis, antequam illud tintinnabulorum genus à Christianis in templa reciperetur. Sive enim cogitemus statum primorum seculorum afflictissimum, pessimè rebus suis consulissent Christiani, si in-

si instrumento maxime sonoro se prodidissent inimicorum insidiis; sive attendamus tenacissimum antiquitatis silentium de campanis vel excogitatis, vel introductis in Ecclesiam, temerarium foret ex suo ingenio fingere historias. Cajus Plinius, cum ea quæ facerent fideles, in Epistola ad Trajanum Imperatorem de Christianorum cœtibus perscripta, exequatur diligentissime, cæterique autores qui vel accusando vel defendendo tradiderunt Christianorum instituta, hujus quoque signi, si quod vulgatum, notumque tunc fuisset, mentionem alicubi injecissent.

C. Plin. L. 10.
Ep. 97.

§. 2. Cum ergo campanas nec haberent veteres, nec si habuissent, usurpare vellent, crebriores tamen conventus flagigaret pietatis studium, tutissimum esse videtur asserere, vel sua sponte populum confluxisse, vel unum alteri locum atque tempus, ab Episcopo significatum, privatim indicasse, vel missum esse Diaconum iis de rebus autoritate episcopi singulos admonentem. Quibus intellectis non opus fuit moneri sapius, sed quilibet pro sua in DEUM pietate repetiit locum constituto tempore, donec inimicorum insidiis proditi migrare nidum recessusque alios quærere juberentur.

§. 3. Baronius in annalibus ea de re ita loquitur: *Ad cogendum in unum locum fideles omnes precum causa, quousque DEI Ecclesia sub gentium regibus undique, quasi hostibus obsessa permansit, haud liberum erat populum patenti aliquo signo ad Synaxin publicumq; convocare conventum. Nec licet certi statuti essent dies celebrandi conventus, ipsa dies, (quod ajunt) poterat interpellare pro homine. Nam urgente persecutione, haud liberum erat ibidem loci semper convenire, sed necesse erat frequenter mutare loca, eademque nec inventu facilia; quamobrem privatim, singulos a ministro Ecclesie id muneris obeunte, qui Cursor dicebatur, Episcopi seu presbyteri monitu vocari opus erat. Quod lectori redditurus verisimile, allegat illud ex Ignatii Epistola ad Polycarpum; Decet, beatissime Polycarpe, concilium cogere sacrosanctum, & eligere, si quem vehementer dilectum habetis & impigrum, ut possit divinus appellari cursor, & hujusmodi creare qui in Syriam profectus laudibus celebret impigram charitatem vestram*

Baron. ad
Ann. C. 586
n. 102.

Ignat. Epist.
ad Polyc.

ad gloriam Dei. Id hominum genus, quod convocaret fideles, perferretq; literas, non quidem peculiarem ordinem, certum tamen munus Ecclesiasticum constituisse hic pariter atque alibi arbitratur Baronius. Ubi tamen minimè diffidetur, id munus postmodum non fuisse per se distinctum, sed injunctum lectoribus, acolythis & subdiaconis. Verum, etsi e variis antiquitatis monumentis, quorum partem collegit Franciscus Bernh. Ferrarius de antiquo Epistolarum Ecclesiasticarum genere, obscurum non sit, Clericorum opera & fide in ferendis & referendis Epistolis usos fuisse Episcopos; Ea tamen, quæ ad Polycarpum scripsit Ignatius, non testimonium præbent idoneum de ministris ad convocandos Christianos ordinatis ab Ecclesia. Mittendus enim Θεόδωρος ille, quem vocat Ignatius, in Syriam dicitur, ut celebret impigram Smyrnenis charitatem ad DEI gloriam, non ut tempus atq; locum conveniendi ad rem sacram opportunum indicet; Et longe melius consultum fuisset Christianis in Syria degentibus, si unum e suis pium pariter atque industrium elegerent ad munus illud, quia singulos nosse & domos eorum, qui invitari debebant, tenere memoria necesse erat, quam ex oppido Smyrna accersere hominem rerum illarum ignarissimum, cujus errore, si in gentilem incidisset imprudens sociumque fidei arbitratus, temere locum conventus indicasset, totus Christianorum cœtus in discrimen maximum adduci poterat facillime. Quia tamen non rationibus solum atque testimoniis veterum, sed conjecturis quoque veritatem historiæ suæ superstructam esse ipse fatetur Baronius, error ille aut condonandus erit humane, aut si commiseratione indignus videatur, adjiciendus decem mille erroribus, quos in Baronio se invenisse dixit Lucas Holstenius.

§. 4. De campanarum autore inter scriptores minimè convenit. Multi Paulinum Nolæ, urbis in Campania Episcopum, Divi Hieronymi æqualem, extitisse primum inventorem, usumque campanarum in Ecclesiam introduxisse arbitrantur. Alii rectius sibi sentire videntur, si illum honorem deferant Sabiniano Pontifici Romano. Sed id dum agunt, causamque dubiam sua solum autoritate commendare volunt, certissimam

eorum

Id. ad ann. C.
44. n. 79.

Ferrarius Lib.
3. c. 4.

eorum reddunt sententiam, qui autorem ignorari statuunt. Id quod ingenue fatetur Polydorus Vergilius, homo studiosissimus Polyd. Vergil. investigandi primos rerum inventores. Scribit enim: *Quid gratius ipso tintinnabulo, quod alii campanam, nonnulli nolam nuncupant, inveniri potuit? Quod licet recens inventum non sit, Mosis enim temporibus teste Josepho, ejus usus erat, de quo Martialis ait:*

*Redde pilam, sonat as thermarum, ludere pergis,
Virgine vis sola lotus abire domum?*

Utriusque tamen (tintinnabuli nempe & horologii) pariter autor latet.

§ 5. Quo in loco non est prætereundum, minus aptè tintinnabulum dici campanam, sed posteriorem ab illo distingvendam esse, cum de origine oritur quæstio. Si enim campana inde nomen habet, quod in Campania primum fuerit inventa, non intelligo quam commode accenseri possit tintinnabulis jam tum Mosis ætate existentibus. Credibile enim non est, ante secula tam multa Campaniam fundendis hujusmodi tintinnabulis impendisse operam, cum & ipsum vocabulum campanæ sit novum, & apud antiquiores scriptores non reperiatur; Quod si discrimen non postremum, quo campana separatur a reliquis tintinnabulis, situm est in magnitudine, id quod nemo iverit inficias; Josephi pariter & Martialis locus, minus apte afferetur ad eruendam campanarum originem. Injuriam vero Polydoro faciunt Macri in Hierolexico suo & qui eorum vestigia legit, Franciscus Bernhardinus Ferrarius, asserentes inventorem campanarum a Polydoro Vergilio nominari Sabinianum Rom. Pontificem, cum tamen, si inspiciatur c. 12. Lib. 6. (ad quem locum illi provocare solent) non de inventione, sed de usu campanarum sermo sit. Audiamus ipsum: *Quod tintinnabulorum sono populus invitatur, vocaturque ad sacra audienda statis diei horis, Sabiniani, qui Gregorio successit, hoc decretum est.*

§ 6. Nempe cum de autore campanarum agitur, gemina occurrit quæstio; vel, quis primus invenerit eam aut fundendi

L. 3. de rer. invent. c. 18.

Ferrar. de ritu
Sac. Concion.
L. 1. c. 7.

dendi dederit consilium; vel quis primus in Ecclesiam introdu-
xerit? Uterque autor campanæ dici potest, & qui invenit, & qui
introduxit. Quemadmodum vero fieri potest, ut unus idemque
invenerit rem aliquam & utendi ea consuetudinem; ita & inve-
nisse potest, qui non introduxit, & introduxisse qui non inve-
nit. Quod si hoc a Macris observatum esset, non reprehendis-
sent Vergilium, tanquam suæ sententiæ adversantem, cum ille
Paulino non quidem deneget laudem inventæ campanæ a Ma-
cris tributam ipsi, sed decretum saltem de campanis jamjam in-
ventis dedisse Sabinianum asserat.

Onuph. Panv.
Epit. Rom.
Pont. Genebr.
Chron. A. C.
604.

Ferr. de Sacr.
Concion. Lib.
I. c. 7.

Joan. Bon.
rer. liturgicar.
L. I. c. 22.

Hieron. regul.
Monacharum.
c. 23.
c. 38.
c. 39.

§. 7. Communis opinio est, Sabinianum, qui post pau-
corum mensium dignitatem sub initium seculi VII. fatis con-
cessit, campanarum usum invexisse in Ecclesiam. Præter Poly-
dorum Vergilium, quem modo audivimus loquentem, idem lite-
ris consignavit Onuphrius Panvinius, Genebrardus complures-
que alii anteambulonum illorum innitentes vestigiis. Sed cum
hi omnes novi sint homines, nec commodum antiquitatis testi-
monium pro se allegare queant, partibus eorum sine erroris me-
tu non acceditur. Initium utendi campanis in re sacra multo
ante Sabinianum fecisse Paulinum Episcopum probabile visum
fuit Bernardino Ferrario, quibus tamen argumentis probare
voluerit hanc suam sententiam, in libello de campanarum origi-
ne, quem tum in animo habebat, exploratum mihi non est. Valde
tamen vereor, ne Johannis Bonæ effatum omnium sit verissi-
mum: *A quo primum inventa campana, cujusque opera vel auto-
ritate in Ecclesiam introducta sint, incompertum est.*

§. 8. In regula Monacharum, quam Eustochio reliquis-
que sacris virginibus inscripsisse perhibetur Hieronymus, semel
iterumq; campanarum injicitur mentio. Monentur enim Vesta-
les ibi, ne ullam ex iis dormientem reperiat *campanilis sonus*, &
ut jejunantes meditentur DEI verbum, *quo usque campanella
in claustro pulsetur*, ibidemque memoratur, *ad Ecclesiam sorores
vocasse campanellam.* Quibus in verbis non parum præsidii inve-
nisse censent, qui Nolani causam juvare volunt, ad probandum
non modo, usum campanarum in Ecclesia valde antiquum esse,
sed

sed ad refellendum etiam Polydori & cæterorum opinionem, qui Sabinianum receptæ in Ecclesia campanæ autorem constituunt; quoniam Hieronymus *συγχρον* Paulini est, & uterque duobus seculis antiquior Sabiniano.

§. 9. Sed quicquid sit de Polydori sententia, in hoc certe argumento ad destruendam illam parum est roboris. Qui scribendi modum loquendique genium Hieronymo familiarem, cognitum, perspectumque habet, facile fraudem deprehendet. An enim post mortem etiam conficiendis libris operam dedit Hieronymus? Nam post obitum ejus confectus sit oportet iste libellus, cum in fine operis scripserit fingatur centenarius, qui annum ingressus nonagesimum primum vivere desierat. Erasmus, vir in censendis libris egregius, ita judicat in censura ad hanc regulam: *Auriculæ prominentes produnt asinum, & totus sermo clamitat, indignum fuisse, qui in Divi Hieronymi culina ministri locum teneret.* Prolixior in detegenda hujus impostoris fraude est Præfatio, quam Tom. IV. Operum Hieronymi præmisit ille, manifestè docens, opusculum frigidius esse imperfectiusque, quam ut eruditionem Hieronymi atque ætatem attingat: *Apparet fuisse quempiam ex hoc hominum genere, quos vulgus partim Augustinenses, partim Eremitas vocat, genus hominum nuper natum. Siquidem isti instituti sui originem, quò videlicet antiquitate sit commendatius, ad Eremitas D. Augustini referri volunt, eoque pingunt Augustinum pullatum, promissa barba, circumfidente grege simili cultu discipulorum.*

§. 10. Quod si in re minus perspicua locus conjecturæ est, non male consulatur utrique parti de autore inventi hujus litiganti, si gloriam istam inter se diviserint Paulinus & Sabinianus. Ita ergo sentimus; Paulinum, uti ingenio erat non infelici, autorem fuisse fundendi tintinnabulum majoris formæ, quam fieri antea solitum, & suæ id destinasse Ecclesiæ. Multò post, cum rei commoditas effecisset, ut appeteretur a pluribus, accessisse Sabiniani constitutionem de recipiendis campanis adhibendisque divino cultui, ac sua præstitisse pontificem autoritate, ut publici juris fieret, quod excogitaverat Episcopus

B & la

& latenter quasi, timideque fuerat usurpatum. Hæc origo fuit campanarum in Ecclesia occidentali.

§. 11. Orientales Ecclesiæ tardius uti cœperunt campanis, vicem eorum interea præstante ligno, repetitis ictibus ad strepitum concitato. Non obscurum ea de re testimonium reperitur in Nicænæ Synodi actione quarta, ubi relatum legimus ex libello de miraculis martyris Anastasii, quod, cum sanctæ civitatis reliquiæ B. viri appropinquaverint, cunctis res ea declarata fuerit, ita letitia magna perfusos omnes surrexissent subito, lignaq; sacra pulsantes obviam facti fuerint in ade B. virginis. Quibus è verbis malè collegit Joh. Steph. Durantius eo tempore, quo hæc contigerunt, nullum campanarum usum in templis fuisse Christianorum, quoniam cognitum est ex historia, Latinos cum Græcis non convenisse in omnibus, & multò ante campanas ad convocandam concionem adhibuisse, quam mos ille Græcorum imitatione fuerit adprobatus.

Durant. Lib. I.
de ritib9 Eccl.
c. 22.

§. 12. Nono demum post nativitatem Salvatoris seculo Orientalis Ecclesia campanas adhibere ad rem sacram didicit. Literarum enim monumentis traditum est à Venetæ historiæ scriptoribus An. 865. Ursum Patriciacum, Venetum ducem, primum omnium campanam mirandi operis & sono præstantem, dono dedisse Michaëli Imperatori, qui acceptam in turri, ad Sophiæ templum extracta, collocari jusserit. Et quia intelligebant Veneti, inventum illud non displicere Græcorum animis, idem munus Ao. C. 874. repetiverunt, mittentes Basilio Michaelis successori campanas duodecim magni ponderis, artificiique haud vulgaris. Etsi autem hoc pacto nobilissimi instrumenti præstantia Orienti innotuerit, tantum tamen abest, ut singulis Ecclesiis necessitas habendi campanam imponeretur, ut potius veteris instituti tenaces pleræque post longum temporis intervallum novo plebem convocandi modo minime uterentur, id quod haud obscure significavit Jacobus de Vitriaco Scriptor seculi XIII. memorando, quod *cum omnes alii Orientales prelati, exceptis duntaxat Latinis, annulis & mitris Pontificalibus non utantur, nec baculos pastorales gestent in manibus,*
nec

Jacobus de Vitriaco Lib. I. c. 77. Historiæ Orient. & Occident.

nec usum habeant campanarum, sed percussis baculo vel malleo tabulis, populum ad Ecclesiam soliti sunt congregare; hi Maronitæ in signum obedientiæ, consuetudines & ritus observent Latino-
rum.

§. 13. Postquam vero, anno quinquagesimo tertio, supra millesimum quadringentesimum, imperium Orientis occuparunt Turcæ, res Christianorum ad incitas redactæ sunt. Desiit antiquus Ecclesiæ splendor, conticuit campanarum jucundus susurrus, miserabilisque lignorum strepitus postliminio reductus fuit. Peculiari nomine lignum, convocando cœtui ordinatum, *σημαντήριον* dici, si quidem minus illud fuerit; sin vero majus *σημαντήριον* appellari, referunt infimæ Græcitatæ scriptores. Leo Allatius de templis Græcorum agens, ait *σημαντήριον* esse lignum binarum decempedarum longitudine; duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optime dedolatum, non fissum aut rimosum; quod manu sinistra medium tenens sacerdos vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde transcurrens, modo in unam partem, modo in alteram, prope vel eminus ab ipsa sinistra, ita lignum diverberat, ut ictum nunc plenum nunc gravem, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extentum edens perfecta musices scientia suavissimè moduletur. Alterum vero, quod *σημαντήριον* appellant, magnitudine est insigni, aliquandoque sex palmos latitudo, unum crassitudo, longitudo triginta exæquat, in turribusque appensum ex catenis malleo pulsatur ad emittendum sonum. Pluribus id lignorum genus profecutus est in Glossario suo mediæ infimæque Græcitatæ Carolus du Fresne, ut describendo illud non opus sit nos esse prolixiores.

§. 14. Quid Turcarum animum impulerit, ut campanarum usum permittere nec sibi velint, nec aliis, non una eademque est sententia. Wenceslaum Luseum Bohemiæ regem, percipimus sonitum æris aversum esse naturæ vitio; Alia ratio ad campanarum odium impellit Mahumedanos. Gabriel Sionita & Johannes Hefronita, Professores Lutetiæ Parisiorum, in libello de nonnullis orientalium urbibus, factum id esse ideò existimant, quod in Moslemanni primordiis ad campanarum signum collecti Christiani Moslemannos invasissent clademque ipsis ingen-

Allat. de Templis recentt. Græcor. Dissert. 1.º

Gabriel Sionita, de Orient. urbib. c. 6.

Pokok. Not. ad
portam Mai-
mon.

Conf. Pfeiffe-
ri Exercitat.
de præcipuis
Perfarum Tur-
carumque cir-
ca religionem
diffidiis.
Georg. Gen-
tius p. 573.

tem intulissent. Communis tamen est opinio, ab Allatio quo-
que allegata, campanarum usum in urbibus, quas simul inco-
lunt Muhamedani, eam ob rationem non permitti, ne per aërem pa-
lantes animas timor incussus quiete, qua fruuntur, exspoliet. Ita
philosophatur id genus hominum. Quam diversimode de ani-
mabus a corpore separatis, sentire soleant Muhamedani, explica-
vit Pokokius. Natum dixeris errorem e gentilium placito de
animabus post mortem hinc inde vagantibus, quod Christiano-
rum nonnulli temere defenderunt olim. Posteriores campa-
nas prohibendi rationem probabilem reddit, quod Christianis, qui
longius absunt a Turcarum commercio campanarum usus non
denegatur. Testes enim sunt Gabriel ille & Johannes paulo an-
te nominati, *Maronitis, qui habitant in monte Libano, indul-*
tum esse libere utendi campanis; & Allatium certiores fecerat,
Athanasius Imri Archiepiscopus, in monte Atho, ubi ordinis sui
tyrocinium posuerat, campanas esse complures, easque vetustis-
simas & horologia quoque ex rotis confecta ferreis, quæ proprio
motu indicarent discrimina temporum. Quin & Persæ, etsi val-
de sint inimici Turcis, in eo tamen haud ab illis dissentiunt,
quod campanarum pulsationem æque ac illi non mediocriter
abominentur. Annotavit enim Georg. Gentius ad Musladini
Rosarium, pertinacissimo Christianorum odio campanarum
usum abhorre Persas, quoniam sint Muhammedani. De Ar-
meniis ab Oleario in Itineribus proditum memoria est, quod
campanas adhibere ad rem sacram ideo vereantur, quoniam
Perfarum mores, quorum imperio vivunt, ferre haud possint
campanarum sonitum, adeoque necessarium sit, assibus alte sus-
pensis pulsatisque malleo, convocare populum. Sed satis de cam-
panarum origine, veniendum nunc ad alia.

CAP. III.

De varia Campanarum Materia insigni; magnitudine.

§. 1 De

§. 1.

DE fundendi campanam ratione nemo dixerit melius, quam qui in ista arte manus animumque exercuit. Percepisse tamen juvabit ea, quæ Athanasius Kircherus hac de re mandavit literis; Sic autem loquitur ille: *Quicumque melioris nota campanas fundere suscipiunt, ita agunt: Accipiunt 3. 4. aut 5. partes cupri vel æris & supra unam partem stanni Anglici, qui vero ponunt 20. libras stanni supra 100. cupri, faciunt quidem campanas insigniter creperas, sed experientia docuit, præcedentem misturam meliorem effectum facere. Verbo, nihil in hoc genere certi præscribi potest, sed experientia totum negotium committendum est, quæ docuit, pro diversa campanarum magnitudine diversas mixturas reperiri. Horologiopæji pro fusione tintinnabulorum ponunt $\frac{1}{3}$ stanni super 10 cupri, quæ maximè sonore redduntur campanæ.* Magius verò memorat, quod gravem sonum si quæsierint artifices, stanni plumbique non parum æri admiscere soleant, sin- acutum, stanni atque plumbi non ita multum adjicere con- svescant.

Kircher. Mu-
surg. Lib. 6.
c. 11.

§. 2. Non vero ex stanno solum plumboque & ære, sed aliis quoque majoris pretii metallis conflatas esse campanas, literis relatum percipimus. Apud Japones non paucas reperiri *solido constantes auro*, ii prodiderunt memoriæ, qui gentem cam salutarunt propius. Sed non est, ut ad videndas rarioris materiæ campanas regionem petamus adeò remotam, cum Euro- pa quoq; habuerit olim, hodieque habeat, quibus superbire possit. Memorat enim Jacobus Francus A. 1610. Bambergæ unà cum Mona- sterio Mönichsbergo undecim absumsisse incendium, inter quas una fuerit *argentea*. Et Magius refert, vidisse se aliquando Bono- niæ tria argentea tintinnabula tam mirabili arte confecta, ut à sacerdotibus Musices probè gnaris ad edendum sonum mota, concentus musicos maximè gratos emisissent. Et hodie Vindo- bonæ in magnifica turri ad D. Stephani ædem campana ex ar- gento fabrefacta reperitur. Ac Avenione in Pontificis palatio invenitur ejusdem materiæ campana, qua signum datur, si vel e- lectus Papa fuerit vel vita functus; ut nihil addam de his, quæ Ro- mæ alibique asservantur.

Magi9 de Tin-
tinnab. c. 20.

Magi9 de tin-
tinnabulis
c. 18.

Zeil. Itin. Gall.
p. 401.

§. 3. Quoniam vero non omnium facultates permit-
tunt, ut ex solido argento cudantur campanæ, æs contra præ
Syveert. not. reliquis metallis maxime sonorum est, materiam id in campa-
adMag.c.20. nis præcipuam, Sweertio judicante, suppeditat.

§. 4. A Pontificiis si rationem, cur ex ære potissimum fiant cam-
Majol. Dier. panæ, efflagitemus, plurimi non tam ad sonandi aptitudinem, quam
Canic. Tom. I. ad absconditam æris vim confugient aliasq; rationes. Non obscu-
Colloqv. 19. ræ Simon Majolus superstitionem suam prodit, quando post
recensita plurima miracula, quæ circa artefacta ex ære contige-
rant, ita scribit: *Elucet quoque eluxitq; illustrem in modum æs
ipsum, ad divinarum rerum gloriam: Ethnicique ipsi etiam sacris
suis adhibuerunt, ære scilicet constantes campanas.*

§. 5. Adeo non pudet homines illos superstitionis suæ
arbitros habere gentiles. Apud illos enim teste, Macrobio, ad
Macrob. Lib. 5. rem divinam pleraque aenea adhiberi solita, & in his maximè sa-
Saturn. c. 19. cris, quibus delinire aliquos aut devovere, aut denique exigere
morbos volebant. Et in lunæ deliquiis æs fuisse usurpatum, ex

Lipsius ad. lib. iis constare potest, quæ Lipsius, Cælius Rhodiginus aliique col-
1. annal. Tacit. legerunt. Sed non opus est hac de re plura commentari, cum
Cæl. Rhodig. religionis suæ convenientiam cum gentilismo satis clarè prodi-
Lib. 19. L. A. derint Polydorus Vergilius de Inventoribus rerum, Baronius in
c. 10. & Lib. Annalibus, Durandus in rationali; plenius verò argumentum
28 c. 6. illud præter Rivetum, in Catholico Orthodoxo, Franciscum Cro-
jum in Papis gentilibus, Gabrielem Povellum de Antichristo, per-
tractarunt Joh. Valckenierus in Roma paganizante, Nicolaus
Hunnius in Romanæ Ecclesiæ Apostasia, atque Hieronymus
Recklebius in Ethnico-Pontificia conformitate; suam quoque
Hotting. A- hac in re operam Hottingerus promisit.

§. 6. Hæc de æneis campanis dicta sunt, pergimus ad
Erasm. Franci- eas, quæ alterius sunt materiæ. Atque hic primum occurrit
sci Hortus In- Erasmus Francisci, referens nobis, *ferreas quoque cupreasque*
dic. P. 3. inveniri in America. Et fertur, Regem Chinesium Ymlo, ut
sibi famam immortalem acquireret, præter æneas campanas
quam plurimas, ferream quoque ingentis ac prope incredibilis
magnitudinis fabricasse.

§. 7. Sed

§ 7. Sed ut campanæ fierent, non metallo tantum usi sunt artifices, verum & aliam materiam parandis hisce instrumentis fuisse adhibitam, ab autoribus memoratum novimus. Nam de Abyssinis refert Franciscus Alvaresius, eos in templis suis campanas habere, sed plerasque *saxeas*, id quod fusius enarravit Simon Majolus. *Figlinas* etiam campanas igne decoctas reperiri auctor est Laurentius Beyerlingius; Quod & Midendorpius confirmat, ut ea præteream quæ de *campanis lapideis* annotavit Salmuthus.

§. 8. Non vero in materia solum, sed magnitudine etiam invenitur varietas. Postquam enim campanæ ex officinis artificum dimissæ, turres templorum occupaverunt, sonituque non ingrato atque valido dignitatem suam commendarunt publicè, alii quidem ad testandam pietatem, nonnulli ad vindicandam ab oblivione memoriam, juvandamque utilitatem communem, suis consiliis sumtibusque effecerunt, ut campanæ admodum magnæ insigniterque grandes funderentur. Non opus est, ut ad probandum ea, quæ diximus, ad regiones excurramus gentilium & Pekingensium memoremus campanas, centum sæpe & viginti millia pondo librarum referentes, nam Christiani etiam hac in re non minus fuerunt studiosi.

§. 9. Qui Moscoviam inspexerunt propius, urbisque illius principis res insigniores literis mandarunt, campanam stupendi operis memorare solent. Solum enim pistillum, quo ad murmur excitatur illa, decem millium pondo, vas vero ipsum 3940000 & ultra esse perhibetur. Crassitiem duo pedes, diametrum autem vix tres & viginti metiuntur. Mediocriter impulsæ (impellenda autem à 50. viris est) tantum edit clangorem, ut tremere terra & conquassari videatur. Moveri solet rarissime, si nempe aut festum celebrius indicandum aut deducendi sunt legati principum. Minor hac, sed valde grandis sit oportet Parisiensis, cui agitandæ 20. viri insudare solent, commotaque sonitum ad septem milliaria diffundere memoratur. Et Zeilerus testis est, campanæ majori, quæ Sedini Pomeranorum in templo ad arcem suspensa est, ad pulsum concitandæ totidem ac Parisiensi homines esse admovendos. In Germania vastitate reliquas omnes superare dicitur Erphordensis in templo B. virginis cathedrali

Alvarez De-
script. Æthiop.
c. 29. & 44.
Majolus. T. I.
Dier. Canic.
Colloqv. 23.
Midendorp. de
Academ. Part.
I. L. 2. Sal-
muth. ad Pan-
ciroll. P. 2.
tit. 9.

Pierre du Vall.
P. 2. Geogr.
Univers. O-
lear. Lib. 3. p.
147. Strauß
denckwür-
dige Reisen.
fol. 57.

Zeil. Itin.
Germ. f. 377.
Id. ibid. f. 397.

Schadei Ar-
gentoratense
templum c. 4.

VVeck. De-
script. Dre-
dens. Itin.
Germ. p. 105.

Schröt. Hist.
tot. Orb. L. 1.
c. 7.

drali, quæ Susannæ nomen in baptismo accepit An. 1498, & 27500. pondo habere traditur, sed numerum istum longe supergressa Argentoratensis est, quæ anno supra sesquimillesimum decimo nono conflata, in ære solum quadringenties vices continuit pondus centenarium, cum reliquo autem apparatu necessario quadringenties sexagies quater. Sed præstantissimum illud instrumentum brevem admodum ætatem tulit, quoniam anno ejusdem seculi vigesimo primo post menses non ita multos, quam suspensum esset, admirabilem sonitus gravitatem accedente fissura omnino perdidit. Recensitis his minores quidem, sed reliqua tamen campanarum multitudine grandiores sunt Vin-
dobonensis illa & Dresdensis olim, atque Norimbergensis, quarum illa ducentas & quadraginta quatuor, ista centum & septuaginta, hæc verò centum & quinquaginta sex centurias librarum continuisse dicitur. At has omnes non pondere sed artificio superat, quæ Mantuæ in templo primario, S. Andreae sacro, contot. Orb. L. 1. spicitur. Nam etsi octo vicibus studio perforata sit, sonum tamen edere perhibetur.

CAP. IV.

De Campanarum usu.

§. 1.

Campanarum consuetudo non ad ornandas solum, sed dirigendas quoque actiones Ecclesiasticas introducta fuit. Et si enim usus earum præcipue ad convocandos Christianorum cœtus initio directus fuerit, multiplicem tamen eum variumque postea fecit ingeniosa ætas, ut non solum ad congregandam concionem, sed ad preces quoque excitandas, deducenda funera & alius etiam generis actiones indicandas ornandasve adhiberentur campanæ.

Manl. Collect.
Artic. de Ec-
clesia.

§. 2. Functiones non postremas vetus illa communisque campanarum inscriptio, cujus & Manlius in collectaneis meminit, non obscure indicat:

En ego

*En ego campana nunquam denuncio vana,
Laudo DEUM verum, plebem voco, congrego Clerum.*

Cui similis illa in turri Thomana Lipsiæ:

Vivos voco, mortuos plango, tonitrua quoque frango.

Plenius verò campanarum virtutes Dresdensis illa eloquitur. Sed quid dico eloquitur? Igne enim jamdudum periit, cum turrem, cui à cruce nomen, & quam incolebat illa, Vulcanus devastaret. At loquitur tamen vel post fatum illa, quoniam memoriam ejus Wekkius conservavit nobis. Audi ergo laudes suas insonantem:

Wekk. Descr.
Dresd.

Consulor in viva, fleo mortua, pello nociva,

Defunctos plango, vivos voco, fulgura frango

Cum mæstis mæsta, congaudens nuncio festa

Atque DEUM placo, ventura pericula paco.

Nec Græcorum ligna, quibus vice campanarum utuntur illi, rationem tacent, ob quam fabricata fuerint. Leo enim Allatius refert: Percepisse ab Athanasio Imbri Archiepiscopo in Dionysiani Monasterii Semanterio hoc carmen, incomitum licet & barbarum comparere:

Leo Allatius
in Dissertat. I.
de Græcorum
templis.

Πόθεν πέφυκας ὦ ξύλον;
ξύλον οἶδα με ἐν μέσῳ τῶν δρυμῶν.
Ἄρτι κόπτομαι ἐ σίφει δαπανέμαι
Νῦν δὲ κρέμομαι ἐν τῷ ναῶ κυρίας
Χεῖρες με κρατῶν εὐλαβῶς διακόνων
καὶ σφυροκοποῦσι με φωνὰς ἐκπέμπω
ἵνα πάντες ἔχθωσιν ἐν τῷ ναῶ κυρίας
ἵνα λύσω ἔυρωσιν ἀμαρτημάτων.

Quod ille ita vertit: *Unde es ô lignum? lignum scito me
in medio sylvæ: postea scindor & dolabro absumor. Nunc pendeo
in domo Domini: Manus tractant me piorum Diaconorum & mal-
leo me percutientibus voces emitto, ut omnes in templum Domini
convenient, ut remissionem inveniant peccatorum.*

§. 3. Primus omnium campanarum sonitu vocare ad sa-
cra

supra c. 2.
 §. 4. 7.
 Beda L. 4. Hi-
 storiae c. 23.
 Keisersbergius
 de morte virt.
 1. gratiae Dn.
 3. Trin. p. 187.
 Carol. du Fres-
 ne sub voce
 Tabula.
 Durant. L. 1.
 offic. c. 4.

era populum perhibetur constituisse Sabinianus Pontifex, qua de re supra jam non nihil nos monuisse recordamur. Non ita multo post campanas etiam ad indicandum, de seculo decessisse hominem, fuisse adhibitas e venerabili Beda intelligimus, obitum Hildæ describente. Hodieq; more in Anglia receptum est, ut quoties aliquis in agone mortis occupatur, campana isthoc significetur, quo piorum quisq; precibus suis adjuvet agonizantem; Et in nostris quoque regionibus ex antiqua consuetudine reliquum videtur esse, ut simul atque melioris conditionis homo vita decesserit, impellatur campana, singulisque postmodum diebus per intervallum flebilis sonus excitetur, donec corpus defuncti sepulchro inferatur. Graviter olim suos monuit Joh. Keisersbergius in sermone de morte virtuali, ne contemtim rem istam habere velint, cujus verba licet pro conditione seculi sint incondita, quia tamen non nihil antiquitatis habent, hoc in loco recitare non est dividia. Sic autem ille: *Noli frater: inquit, ut pleriq; solent, rem hanc, (cum nempe campana pulsatur homine defuncto) seriofam in ridiculum convertere: qui ut fieri solet, cum inter cenandum campana hæc pulsatur, mox ut audiverint, clamant: Iterum dilapsum est uni cochlear: huic ut a modo coquitur non necesse est. In bursam Sacerdotum iterum unus ejectus est.* In monasteriis olim non campanam quidem, sed tabulam fuisse pulsatam, cum monachus in extremis esset, ut in Infirmatorium ad fundendas pro eo preces convenirent vitæ socii, ex iis constare poterit, quæ Cangius in Glossario Latino annotavit. Quot verò vicibus pro conditione defuncti movendæ sint campanæ, hunc in modum explicuit Durantus: *Aliquo moriente campanæ debent pulsari, ut populus hoc audiens oret pro illo; pro muliere quidem bis, pro eo, quod ipsa invenit alteritatem. Primò enim fecit hominem alienum à DEO, quare secunda dies non habuit benedictionem. Pro viro verò ter pulsatur, quod primo inventa est in homine trinitas. Primo enim formatus est Adam de terra, deinde mulier ex Adam, postea homo creatus est ab utroque; Et ita est ibi trinitas. Si autem clericus sit, tot vicibus pulsatur quot ordines habuit ipse. Ad ultimum verò compulsari debet cum omnibus campanis, ut ita sciat populus, pro quo sit orandum.* Ad vetustissimum campanæ usum

usum pertinere arbitror, quod in deducendo funere usurpetur. Et si enim de primo instituti hujus autore testimonium in promptu non habeam, ita tamen judico, quò simpliciores sunt ritus, & à superstitione puriores, eò propius accedere ad antiquitatem. Nihil pietatis atque officii prætermiserunt veteres in curandis suorum funeribus, & non tam lacrymis, quam hymnis defunctorum corpora ad tumulum comitati sunt; multum verò non ad commoditatem solùm attulisse videtur convocare, qui irent exequias, campanæ sonitu, sed ad movendos quoque animos non parum fecisse, luctuosum campanæ murmur miscere cantionibus.

§. 4. Noxam usus accessionem campanis adjecit Pontificum liberalitas. Gregorius IX cum indignis modis Imperatorem Fridericum II. vexasset, vicissimque ab eo malè haberetur, tandem se convertens ad mores Ecclesiæ emendandos, decrevit non solum, ut Salve regina certis recitaretur horis, & laudes Beatæ Virginis in matutinis celebrarentur; sed constituit etiam, novo more pulsari campanas, cum S. Cœnæ officium perageretur. Paulò aliter de consuetudinis hujus origine loqui videntur verba Cæsarii à Macris in Hierolexico recitata: *Pulsatio campanæ in elevatione missæ sacrificii, & quando contigit ad egrotos Eucharistiam deferre, instituta fuit ab Abbate Gvidone Cardinali dum legati Apostolici munus fungebatur, Colonia Agrippinæ pro confirmatione electionis Ottonis Imperatoris, ut populus hoc signo ad orationem Christi Sacramenti commonesceret, quod pium institutum postea in universali Latinorum Ecclesia introductum fuit.* Quæ si ita sunt, prout referuntur, non quidem Gregorium, sed Gvidonem instituti hujus autorem habebimus, nec ad Friderici secundæ ætatem, sed Ottonis, qui prior tenuit imperium, ejus origo referetur. Ut ergo in ordinem narrationes istæ dissidentes redigantur, ita sentiendum arbitramur: Gvidonem Honorii Pontificis autoritate Coloniae agentem, constituisse ibi, ut durante missa, hostia per plateas ambulante, campana audiretur, aliquantò post autem institutum illud à Gregorio rerum potente approbatum fuisse publicè, sancitumque ut tam Coloniensis quam reliquæ Ecclesiæ, quæ venerantur Papam, moris hujus haberent rationem.

§. 5. Aliud Johannis XXII. Romani Pontificis præ-
 Polyd. Vergil. scriptum manavit ad posteros, inquit Polydorus Vergilius. Is
 de invent. rer. enim instituit, ut ter in singulos dies tintinnabula ad vesperam,
 L. 6. c. 12. pulsarentur, ac tum unusquisque ter salutationem Angelicam divæ
 Virgini sacram recitaret. Institutum ita manet, ut hodie ubique
 gentium sit in usu, atque audito tintinnabuli sono, cuncti confestim
 in vestigio genua flectant atque orent. Sic ille de signo orandi
 circa vesperam. Meridiem precibus destinavit Calixtus III. Re-

Platina in vita
 Calixt. 3.

fert enim de illo Platina, quod apparentibus in aëre crinitis stel-
 lis, errore percussus non aliquot solum dierum supplicationes in-
 dixerit, sed & hinc inde per urbes ordinavit, ut in ipso meridie mo-
 verentur campanæ, singulique de precibus adversus Turcas, hæ-
 reditarios Ecclesiæ hostes, fundendis, sedulo commonerentur.

Clem Alexan. Vetus admodum consuetudo est certas horas designare preci-
 L. 7. Stromat. bus. Clemens enim Alexandrinus, Tertullianus atque Cypria-
 Tertull. de je- nus restantur, sua jam ætate tres imprimis horas, tertiam nempe,
 junis c. 10. sextam atque nonam orationi a nonnullis dicatam fuisse. Sexies
 Cypr. Tract. de orandum per diem, Autor constitutionum Apostolicarum atque
 Orat. Dom. c. 23. Chrysostomus judicarunt. Etsi Basilio M. teste septenarium ele-

gerint alii, quia David quotidie Deum laudavit septies. Preces
 Constitut. A- distingvi momenti definitumque observari tempus, ut conjuncta
 post. L. 8. c. 34. Chrysoft. Ho- quasi pietate DEO reddatur oratio, non digna vituperio res est.
 mil. in Ps. 119. Libertatem enim sibi relinquit Christianus orandi, etiamsi si-
 Basil. Serm. de gnium non dederit campana; nec preces metitur tempore, sed
 instit. Monach. perendi necessitate. Vera omnino Clementis est sententia:
 Pl. 119. v. 164.

Clemens A-
 lexand. L. VI.
 Stromat.

Εἰ δὲ ἦρες ἢ ὥρας ταύτας ἀπομένῃσι εὐχῇ ὡς τρίτην Φέρε
 ἢ ἕκτην, ἢ ἑνάτην ἀλλ' ἐν γὰρ ὁ γνωστικὸς ὡρᾶ ὅλον εὐχεται
 τὸν βίον, δι' εὐχῆς συνέιναι σπένδων θεῶ. Quod si nonnulli
 certas & definitas horas constituunt precatiori, ut verbi causa, ter-
 tiam, sextam, nonam: At is, qui est cognitione præditus, per totam
 orat vitam; dum per preces suas cum DEO versari studet.

§. 6. Sed ad alia etiam translatus campanarum soni-
 tus. Fuit enim communis lætitiæ interpres, quando insignem
 victoriam aut commodum memorabile retulit Respublica; Et re-
 verentiæ testis, si urbem ingressi sunt reges atque Principes, aut
 ad Ecclesiam suam se contulerunt Episcopi atque Abbates; &
 ignomi-

ignominiaæ præco, cum turpissimi hominis excommunicatio publicè indicata fuit; & imminentis periculi nuncius, si depellendus hostis aut restringendum est incendium, & quæ id genus sunt alia. Non enim opus esse judico exemplorum multitudine onerare chartam, quia partim hodieque usu venire solent, quæ modo diximus, partim à Barthio Cangioque vetustatis testimonio sunt confirmata, quæ probatione indigere videbantur. Tenedimus ad

Barth. notis
ad Britonis L.
12. vers. 246.
Car. du Fresne
Glossar. Latin.
p. 710. 711.

CAP. V.

De Lustratione Campanarum & circa eas superstitione.

§. I.
CAmpanas admoveri templis haud licere, antequam solenni ritu lustratae fuerint baptizataeque, simplici populo persuasit sequioris ævi superstitione. Atque ex eo ritu vim inesse illis non exiguam ad fugandos daemones, ad pellenda mitigandaque tonitrua, ad pestem denique & quemcunque morbum averruncandum temerè persuasum fuit rudi plebeculae. Variæ virtutes illæ, quas baptismi beneficio derivari in campanas existimant Papæi, optimè confirmari possunt oratione in Pontificali Romano de benedictione signi reperiunda, quæ hujus est argumenti: *Benedic Domine hanc aquam benedictione celesti, & assistat super eam virtus Spiritus S. ut, cum hoc vasculum ad invitandos filios sanctæ Ecclesiæ preparatum, in ea fuerit tinctum, ubicunque sonuerit hoc tintinabulum, procul recedat virtus insidiantium, umbra Phantasmatum, incurfus turbinum, percussio fulminum, lesio tonitruum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum: Quem absurdum nefandumque morem, quam ægrè tulerint Status Imperii Romani sub initium Reformationis, abunde patet è centum*

gravaminibus Nationis Germanicæ anno superioris seculi vigesimo secundo Norimbergæ propositis, exhibitisq; legato Pontificis.

§. 2. Primum fuisse Johannem XVI. qui consuetudinem baptizandi campanas invexerit in Ecclesiam, Baronius retulit in Annalibus. Is enim ab exilio redux in publica lætitia Campanam Lateranensem miræ magnitudinis, An. Æræ Christianæ 968. antequam supra Campanile elevaretur, consecrasset, aqua benedicta abluisse, & de suo nomine Johannem appellasse perhibetur. Attamen res ista seculo decimo longè est antiquior. Nec enim solum Alcuinus, qui Caroli M. Præceptor fuit, & diu ante, quam nasceretur Johannes, diem obiit supremum, apertè scribit; *Novum videri non debere campanas benedici & ungi, eisq; nomen imponi*; Et in Capitulari Caroli M. campanas, quæ Cloacæ ibidem appellantur, baptizare prohibetur; Sed in ritualibus etiam libris multò vetustioribus ætate illius Pontificis formulas benedicendi ungendique campanas reperiri, Hugo Menardus ad Gregorianum de Sacramentis librum, jam olim annotavit.

Capit. Caroli
M.A.787.c.18.

H. Menard. ad
Greg. p.207.

§. 3. Quibus superstitionem istam cæremoniis ornare soleant Papicolæ, & relatu longum foret & auditu tædiosum. Quia tamen ad præsens institutum pertinere videtur, rem istam non præterire silentio, legendi fastidium abstergemus quodammodo, si, quæ prolixius descripsit Pontificale Romanum, brevioribus Poëtæ verbis eloquamur. Sic autem Thomas Naogeorgius, (quem Germanicis rhythmis expressit Burchardus Valdis) ea de re cecinit:

Naogeorg. L.
I. Regni Pa-
pistici.

*Quando baptizant campanas, ferretur est quis,
Qui risum cohibere queat, quin non manu utraque
Auriculas asini fingat: qui pectore toto
Non indignetur, lucrosis artibus illuc
Rem rediisse, ut baptismi venerabile signum,
Quod nos in Christi demonstrat castra receptos,
Res anima sensuq; carens ante ora prophanet
Nostra, atque actore id magno, miroq; paratu.
Undique vicinus populus concurrat eodem:
Omnibus una cupido est hæc spectacula videndi.
A Templi illius præfectis jam ante rogati
Adsunt compadres culti tersiq; supremè.
Complures ad tantum olim ut legerentur honorem, Præ-*

Prævenere rogando ipsi: nec parvulus horum
Est numerus: centum ferme, per sepe ducenti,
Tercentum quoque, si campana est magna, locusq;
Insignis: Tandem procedit Episcopus armis
Spectandus solitis, præculis & consecrat undam
Cum sale: quippe sine his tantus nil efficit Autor,
Multa, licet clara luce, ardent lumina circum.
Cætera postquam egit precibus, procumbere mandat
In genua adstantes, orareq; uti Campanæ
Baptismus prosit contraq; pericula fortem
Tinnitum mittat. Posthæc campana linitur,
Partibus in quibus est visum, quotiesq; chorago.
Non enim idem observans omnes. Tum postulat edi
Illius Nomen (nomem quippe inditur illi
Ut puero) quod cum didicit, perfundit abundè
Baptismi ter aqua, sacro dein Chrismate signat
Depictis crucibus: mox illi linea vestis
Candida ceu puero injicitur. Tum maxima verò
Compatrium cura & certamen surgit ineptum
Ut tangant, sacriq; levant de fonte lavacri.
Sed nequeunt omnes circum contingere dextra
Ergo funiculis retinent, tanguntque, levantq;
Quamlibet extremi: satis istud nempe videtur.
Seq; suo censent perfunctos munere belle.
Demum filiola tinctæ munuscula donant
Aurum & argentum: Vult dives quisque videri
Atque alios superare stipe; Hæc res commoda porro
Præfectis templi est, turrim ut tollatur in altam
Hinc convivantur, quod sit campana renata,
Lucem illam celebrant vino, lusu atque choreis
Et vomitu & pugnis omniq; libidine gestus.
Quidnam aliud, queso, vidisti stultius unquam
A magnis parvisq; geri sub schemate sancto?
§ 4. Atque ex hac superstitiosa campanarum baptizatio
ne mirabiles illæ ridiculæque inscriptiones natæ sunt, quæ pas
sim hodieque reperiuntur. Quam magnifice loquitur & egregie
mentitur Erfurdensis: Laudo patronos, cano gloriosa, fulgur arcens
& de-

& demones malignos. De Geta retulit Spartianus olim, quod ei familiare fuerit has quaestiones Grammaticis proponere, iisque eos exercere, ut enunciarent quomodo singula vocem emitterent animalia: Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurint, ursi saeviunt, leones rugiunt, Leopardi rictant, Elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easque ex veteribus probarent. Qui sequentes confecit versus, dignus videtur erudito Getæ convivio adhiberi, Grammaticisque illis nominificiis medius misceri, quoniam ut illi animantium, hic campanæ sonum exprimere novit egregiè:

Sit aurapia, dum rogat ista Maria.

Est sua vox Bambam potens repellere Satan.

Tonitruum rumpo, mortuum desleo, Sacrilegum voco.

Debetur hæc inscriptio campanæ Butzbacensi in Weteravia. Ex his vero versibus Fuldensis campanæ, Baronii martyrologium augere possis:

Annis bis duo C. millenis quinque triginta

De Merlau Primas Johannes contulit hoc vas.

Quem salvet Christus, Bonifacius & Benedictus,

Simplicius, Faustinus, Processus, Martinianus

Destrue tonitrua, tu fulgura, stella Maria

Cum sancto Sturmi, quoties pulsatur Osanna.

Qui figuris delectatur in Schneebergensi illa compendium inveniet:

Quæ potes immensum Anna tu flectere Jovem

Pelle mala & morbos contorque, fulmina pelle.

Nec Lipsiensis hæc ad D. Thomæ ædem seculi sui lepore destituitur:

Vivos voco, mortuos plango, tonitrua quoque frango

*Jesus Christus, Sanctus Thomas, Sancta Maria Magdalena ora
pro nobis.*

Tales reperiuntur complures aliæ. Nam si omnes enumerare velimus, quis tandem finis in explicatione fuerit? Miseros vero Exercistas, & ô infelices Medicos, si campanæ strepitu confestim demones in fugam vertuntur, ac æris tinicitu pelluntur morbi! Philon olim alexipharmaca sua Deorum manus appellavit, alii compositiones à se inventas propter virtutem eximiam, manus Christi, gratiam DEI, antidotum Paulinum dicere non sunt veriti. Medicorum hanc
dili-

diligentiam in excogitandis titulis splendidioribus imitati videntur campanarum commendatores, superbè admodum nominantes eas, *Voces vite*. Ecce tibi genuinam testem: Norimbergensis ita loquitur, quanquam vix possit præ vetustate:

Vox ego sum vite, voco vos, orate, venite.

Succinit huic Portensis:

Vox sum vite salvandis sonans venite

Protege Domine Jesu Portenses mortis ab esu.

Mirum quod hic Salvatoris, non intercedentibus sanctis, auxilium petatur!

S. 3. Quando consecratur campana, crucis imagine solet ornari. Quod mysterium hanc dedit inventionem:

O crux sancta defende ac protege nos.

Et tu rex gloria veni cum pace. Ita insignita fuit Dresdensis illa, quæ cum cæteris hoc seculo igne fuit consumpta, postquam viginti sex lustra & amplius insonuit. Formula, quæ alterum hinc constituit hemistichium, campanis inscripta quam plurimis invenitur. Exprimit vero Johannis illud: *Veni Domine Jesu*, quod à pio homine rhythmici causa ita redditum fuit:

Apoc. 22. v. 20.

O Rex gloria Veni cum pace.

Sic enim plerumq; legitur. Communis veterum fuisse videtur formula, qua Domini adventum audito campanæ sonitu accelerari desiderarunt. Dicendi genus, quo Salvatorem salutant Regem, gloriæ, è Psalmo vigesimo quarto depromptum est ac repetitum in antiquissimo S. Trinitatis hymno, cujus autores feruntur Ambrosius esse atque Augustinus, in quo itidem Salvator Rex gloriæ appellatur. Pacis mentio frequens est in formulis veterum. Nempe

Christiani exemplum Domini imitati atque Apostolorum sunt. Præclare ea de re Chrysostomus dixit: *ἐν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς εἰρήνῃν, ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἐν ταῖς λιταῖς, ἐν ταῖς προσήσεσι, ἔσπαξι, ἔδῃς, ἔτρῖς, ἔπολλάκις αὐτὴν δίδωσιν, ὁ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πρεσβυτείας εἰρήνη ὑμῶν, ἐπιλέγων.* In Ecclesiis pacem, in precibus, in supplicationibus, in salutationibus & semel, & bis, & ter, & sæpè eam dat is, qui Ecclesia præest dicens: *Pax vobis.* Illam ergo Pacem animo conceptam quidem, adventu tamen Christi perfectè consequendam apprecati sunt sibi formulam istam ingeminantes. Hæc enim summa votorum est; ne Dominus differe velit diutius adventum, sed tandem

Chrysoft. in

Ep. ad Col.

Hom. 3.

D

aliquan-

aliquando venire ad iudicium, fideles suos è mundi diffidiis ereptos, quieti asserturus perpetue: Quod ad mentem Ecclesiæ ita expressit nonnemo:

Clauder.
Cent. 2.
Hymn, Se-
lect.

Ab Christe, quas tuo die

Nectis moras supremo!

Mentes gemiscunt anxie

In Orbis hac eremo!

Tandem redi! tandem redi!

Judexq; nobis subveni

Tollens gravamen. Amen.

§. 5. Virtus campanarum pellendi daemones, tranquillandi tempestates, curandi morbos in suspensione hæret. Dicuntur enim præstare effectum consecrationis beneficio, quæ cum ipsa sit temeraria indignaq; Christianis moribus, judicari potest facile, quid de ea sit sentiendum. Aëris natura multo est inferior tantis effectibus. Dæmones cessisse aliquando campanæ tone non adeò miror, sunt enim valde officiosi in papicolas. Audi fabulam: Theodorus Episcopus Sedinensis unam magnam campanam dono accepit à Leone Pontifice. Portanda fuit ab urbe Roma usque ad Sedinensem Ecclesiam, scilicet usque ad Alpes Helvericas. Quid ageret?

Tolet. L. 7. c.
16. p. 489.
Wier de præ-
stigiis Dæm.

simpliciter portari fecit per Daemonum obsequia. Absit dubitatio verbis; Toletanus narravit in Syntaxi rerum memorabilium, Dæmones campanas non baptizatas è turribus abripuisse, referente Wierro, facile credo; retinendi enim hoc pacto in officio erant, confirmandique in superstitione simpliciores. Sed quod Diaboli pietas in campanis cruce veretur, & sculpta in ære nomina Simplicii, Faustini, Processi, Martiniani, Sturmique in terrorem eum conjiciant, illud quidem mihi persuadere non possum. Ajunt ipsos Diabolos hodieque inter se disputare an inter entia rationis sint referendi sancti illi, an associandi entibus realiter existentibus.

Lib. 1. de offic.
Sac. c. 4.

§. 6. Tempestates sedare campanas vulgus ideo non difficulter credidit, quia persuasum erat concitari a Dæmonibus in aëre resonantibus. Sic enim Durantes loquitur: *Ecclesia videns concitari tempestatem, campanas pulsat, ut Dæmones, tubas æterni regis, id est campanas audientes, territi fugiant & à tempestatis concitatione quiescant.* Statuit ergo populus, pro simplicitate sua: Quemadmodum discedente motore desinit resonare campana; ita etiam Diabolo in fu-

in fugam dato, recedere tempestates. Norant omnes eum in finem factam esse dedicationem; rem egregie commendabant concionatores, campanæ ipsæ virtutem suam a neis descriptam literis jactabant, quis tot testibus obloqui ausus esset? Quod si campanarum sonitus pererrando aërem, tempestates mitigare, fragoremque tonitruum moderari posset, illud tamen aut non positum est in rationibus, aut superstitione fuit collutatum. Nostri nunc instituti non est prolixius explicare: An per naturam præstare opem adversus tempestatis gravitatem possit campanarum sonitus? Egit id ante nos contra Hippium *Heinnicus Stokfletus* singulari Dissertatione de campanarum usu, & superiori seculo *Caspar Homborgius* edito libello de superstitiosis campanarum pulsibus pro avertendis fulminibus, nec Martinus Delrio quæstionem illam præterit in disquisitionibus Magicis.

§. 7. Quamquam verò in regionibus nostris consuetudo pulsandi campanas cælo perturbatiore non ubique locorum sublata sit, non tamen retinetur ad confirmandam approbandamve pontificiorum superstitionem, sed ad excitandam in animis audientium pietatem. Sic jam olim senserunt nostrates. Cum enim anno superioris seculi vigesimo octavo visitatio Ecclesiarum fieret, auspicio Johannis Electoris ita constitutum fuit: *Morem pulsandi campanas tempestatis tempore servari posse, ea tamen cum explanatione, quod fiat ad excitandum populum, ad preces præsertim pro pace, que summum hujus vite bonum sit, non verò quod campanæ ex superstitiosa consecratione efficaciam aliquam habeant.*

§. 8. Denique & medendi virtutem campanis addidit baptismus. Ita similis hæc sententia mendacio est, ut Sossæ Plautino Mercurius. Quibus enim argumentis reddent verisimile? an quia aquæ adspersione dicatæ sunt divino cultui? sic vero quilibet Christianus morbos curare poterit, quia per baptismum fuit consecratus Deo. An quia sanctorum nominibus sunt insignitæ? Sed multi hominum eodem modo appellantur, nec tamen medendi facultate excellunt. An ad rationem confugient adversariis non revelandam? Si ita disputare volunt, verbum non addo. Pergo ad alia: Mantuæ campana perhibetur esse in templo S. Andreae pro tollenda sterilitate mulierum. Propone animo tuo, ut credat: S. Floriani nomen aut D. Ægidii Renati æs illud accepisse in baptismo,

Vid. Libell.
Visitator. c. 16.

ax II, 2564

Varius L. 2. de Fascui c. 14.

Nieremberg. l. 1. c. 12.

baptismo, quia hi foecunditatis sunt numina. Quibus non ita felicibus licet esse, ut Mantuam proficiscantur ad audiendam mirabilem campanam, solantur annonam liberorum, cingulo S. Mariae, nam & id fecilitatis averruncum fecit antiquitas. Campanae sonitus hostem depellit a moenibus. Proditum enim memoriae, nefandoque ausu compertum est, si tres foeminae primum ferentes uterum juncta ope campanam moveant, vires militum in oppugnanda urbe intercipi atque prosterni. Campanae futurae calamitatis interpretes. Villilae, quod Arragoniae oppidum est, aliquot menses antequam singulare damnum infligitur Reipublicae Christianae, campana nemine impellente pulsari dicitur, indeque & miraculorum campana appellatur. In Monasterico Camerensi Patrum Praedicatorum triduo prius, quam decedendum est uni ex monachis, campana sponte sua movetur sonitumque redit. Plura vis de hoc argumento? plura referet Nierembergius de miraculosis Europae naturis. Unde illa praesagiendi facultas? nempe a baptismo; quomodo autem id praestat baptismus? Oro te per Sanctum Sigalionem Beatamque Agnosiam, ne id ex me rogare velis neque enim rationem invenio, & jam dudum me tædet fabulas retulisse.

COROLLARIA.

^{1.}
ET si neque Athei theoretici, neque practici optandi sunt Reipublicae, hi tamen, quam illi, majus afferunt detrimentum.

^{2.}
Ludi scenici rectius tolerantur in bene constituta Republica, quam urna fortunae.

FINIS.

VDTF

MC



Q. K. 415, 27.
34.

I. M.
DE

CAMPE TEMPL

PERMIT
FACULTATE PE
SUB PR A

M. PAULI CHRIS
VVALDI

ADDIEM

A. R. O. M

DISPUTABI

AUT

JOH. MAURITI

GRIMA MISN. PHIL

ET AL. ELE


LIP S

Literis JOH



K. 415.

3-4
i
564



Kodak

LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black